

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Svmmvla Selectarvm Qvaestionvm Regvlarivm**

**Bonagrata <von Habsheim>**

**Friburgi Brisgoiae, 1665**

Exemptio

[urn:nbn:de:bsz:31-160625](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160625)

etiam in ijs aut similibus casibus, præsumitur licentia interpretatiua Parochorum ad id præstandum. Videantur super prædictis Soar. to. 4. de Relig. tr. 10. l. 9. c. 2. & Urban. ab Ascens. Theol. Mor. tr. 2. p. 2. dist. 1. c. 2; Reg. 4. §. & 6.

199. Sapiùs, an rarò sit communicandum, expendit Seraph. D. S. Bonaventura l. 2. de Profectu Relig. c. 77. cuius iudicio: *vix aliquis ita Religiosus esse videtur & sanctus, exceptis Sacerdotibus, quin semel in septimana sufficiat ei ex consuetudine communicare, nisi specialis causa quandoque vel ratio plùs suadeat, infirmitas superueniens, vel singulariter festinitas solennis, vel inusitata deuotionis feruor, & intemperata desiderij sitis sit pro illius susceptione, qui solus sufficit amantis anima ardorem refrigerare, &c.* Vide insuper Gab. Biel; lect. 87. in Can. Missæ.

CXCIX.

Sapiùs an  
rarò com-  
munican-  
dum?

## EXEMPTIO.

200. Exemptio Regularium quid sit, & vnde?  
201. Exemptio duplex à lege Diocesana, & Iurisdictionis.  
202. Casus, in quibus exempti subduntur ordinarijs.

200. **E**xemptionem, à qua Regulares exempti denominari solent, defini-  
nit & vnde?

CC.

Exemptio  
quid sit  
& vnde?

nit Sylu. V. Exemptio. quod sit *libertas seu liberatio à potestate Ordinarij inferioris à Papa, stante subiectione immediatâ ad Romanum Pontificem.* Originem huius exemptionis deducit Tambur. 10. 1. de iure Abb. disp. 15. q. 3. ex iure mancipationum & manumissionum à priuatione Dominij vel Iurisdictionis & similium. Quia sicuti Pater iniquè se habens in filium, compellitur, vt illum emancipet. gl. in §. Vltimo. Instit. quibus mod. ius Patr. potestat. soluit. gl. in c. Constitutus V. Emancipatio. de ressit. in Integ. Ita cum olim Monachi omnes, locorum ordinarijs subiecti fuissent, & Episcopi velut eorum Generales, & reciperent Nouitios, & admitterent ad Professionem in Monasterijs, vt constat ex c. Viduitaris. 27. q. 1. & c. præficerent Abbates Monasterijs, quod traditur a Si quis Abbas. 18. q. 1. postmodum verò suorum munerum occupationibus distracti atque impediti, Religiosorum mores parùm curarent, ac illos plerùmque diversimodè defatigarèt, prout in c. Nimis iniqua. Et c. nimis praua. de Excess. Pralat. describuntur viginti septem grauamina, quæ Prælati Religiosis inferebant, Et Clem. vnica eodem tit. Vbi Clem. 5. in Conc. Vienn. prouidet contra triginta grauamina per Episcopos & Superiores inferri solita; Sedi Apostolicæ expediens

ens visum fuit, concedere exemptiones omnibus ferè Congregationibus & Religiosis, ac illos immediatè sibi subijcere.

201. Atque ita primùm de iure communi, Prælati & Religiosi à lege Episcopali Diœcesana eximuntur c. *Quàm fir.* 18 q. 2. De iure autem Priuilegiorum per speciales summorum Pontificum concessionibus ab utraque lege, Diœcesanâ scilicet & Iurisdictionis, immunes existunt: quamuis in aliquibus casibus subdantur etiam Episcopis, partim de iure communi, partim ex Trid. sess. 25. de Regul. & aliâ passim.

Nota duplicem esse potestatem Ordinariorum, quæ per legem duplicem explicatur. i. est *lex Iurisdictionis*, alia *lex Diœcesana*. *Lex Iurisdictionis* consistit in agendo, gubernando seu ministrando; Vnde ad hanc spectât omnia, quæ circa Iudicia aguntur, vt sunt citatio, causæ examinatio, decisio, punitio vel absolutio. Item condere leges & statuta &c. Ecclesias, Altaria & alia quocunque vasa, Item Virgines & vestes consecrare, conficere Chrtisma, cæteraque ad Sacramenta spectantia præstare &c. de quibus c. *Conquerente.* de offic. Ordin. *Lex Diœcesana* est, quæ consistit in recipiendo, id est, quæ statuit de his, quæ sunt conferenda Episcopo, & ab ipso sunt recipienda, vti sunt omnia

CCI.

*Exemptio duplex, à lege Diœcesana & Iurisdictionis.*

*Lex Iurisdictionis.*  
*Lex Diœcesana.*

V hia

nia seruitia & subsidia temporalia, quæ debentur Episcopis ratione sui muneris.

CCII.  
Casus, in  
quibus  
Exempti  
subduntur  
Episcopis.

202. Casus in quibus etiamnum Regulares, non obstante Exemptione, Episcopis subijciuntur, enumerat P. Bassæ. *to. i. V. Episcopus. n. 24.* Ex quibus nos concernunt potissimum sequentes.

Primò, Episcopis subduntur, quoad editionem librorum. *Conc. Lateran. sub Leon. 10. sess. 10. Et Trid. sess. 4.*

2. In omnibus, quæ ad Ordinem Episcopalem pertinent, v. g. in Consecratione, petitione Chrismatis, collatione SS. Ordinum &c. *De hoc Vid. Ordo.*

3. Regulares, Pœnitentiæ Sacramentum Sæcularibus administrare nequeunt, nisi ab Episcopis approbationem acceperint. *Trid. sess. 23. c. 15. de Reform. vide V. Confessarius. n. 100.*

4. Nulli licet Monasterium seu Ecclesiam, vel Orationis domum ædificare, antequàm ab Ordinario suo licentiam obtineat, priuilegiis & exemptione non obstantibus. *vid. V. Monasterium.*

5. In colendis festis, & promulgatione Interdicti & censuratum, &c. *V. Constitutio.*

6. Exempti omnes, tam Clerici sæculares, quàm Regulares quicumque etiam Monachi, ad processiones publicas accedere

re co

re cogi possunt à locorum Ordinarijs, exceptis illistantum, qui in strictiori clausura perpetuè vivunt. Item differentia & lites, quæ ratione præcedentiæ inter Ecclesiasticas personas in iisdem processionibus oriuntur, ab Episcopis breui manu, appellatione remotà componantur. *Trid. sess. 25. c. 15. De Regul.*

7. Quicumque Regularis prætendens per vim & metum ingressum esse Religionem, aut dicens ante ætatem debitam, professionem emisisse, aut quid simile, volensque habitum dimittere quacunque ex causa, aut cum habitu discedere sine licentiâ Superiorum, non erit audiendus nisi intra quinquennium tantum à die Professionis, & tunc non aliàs, nisi rationes suas, quas prætenderit, proposuerit coràm Superiore suo & Ordinario. Sic *Trid. sess. 25. c. 19. de Regul. vide V. Professio.*

8. Regularis extra Monasterium degens, etiam sui Ordinis priuilegij prætextu, tutus non est, quò minus, si delictum commiserit, à loci Ordinario, tanquam à Sede Apostolica delegato, secundum canonicas Sanctiones, visitari, puniri, & corrigi possit. *Trid. sess. 6. c. 3. de Resor.*

9. Nouitij omnes subiacent Episcopo quoad renunciations faciendas. Nam nul-

la renunciatio aut obligatio antea facta) etiam iureiurando ad cuiuscunq; fauorem, etiam piæ causæ, valida est, nisi obtentâ E. piscopilicentiâ, siue eius Vicarij, fiat intrâ duos menses proximos ante professionem, ac non aliàs intelligatur effectum sortiri, nisi secutâ professione. *Trid. sess. 25. c. 16. de Reg. Vide V. Nouitius.*

Distinguitur Exemptio in *Personalem, Localem, & Vniuersalem.* *Personalis* est, quæ eximitur persona, vt à nullo, neque etiam Legato Sedis Apostolicæ, vel iudice delegato excommunicari, suspendi vel interdicipossit. *Localis* est, quæ fit loco seu Monasterio, vel Ecclesiæ, ita vt nō solum Monasterium seu Ecclesia sit exempta, sed etiam res Monasterio & Ecclesiæ annexæ & propriæ. *Vniuersalis* Exemptio est, quæ personas, res & loca eximit ab Ordinariorum Iurisdictione, & subijcit immediatè Papæ. Omnibus his exemptionibus fruuntur Religiosi mendicantes, per plurimorum Pontificum Priuilegia, quæ videre licet in Bullario Rodriquez, & apud Lezan. *ro. 5. 99. Reg. præsertim verò in Mare Magnum Minor. §. 43. n. 125.* Summarie verò in *Comp. Priu. Mend. V. Exemptio.* De Exemptione vniuersali etiam à ciuili seu seculari potestate, quoad nostrâ Germaniam. *vid. Laym. l. 4.*

4. tr. 9. Et nostrum P. Sorbum in allega-  
 o Comp. Priu. V. Ecclesia Fratr. vbi monet  
 Regulares esse cautos, ne sinant Malefacto-  
 res in suis locis vel Ecclesijs à Ministris Iu-  
 stitiæ capi, nisi particularem afferant Epi-  
 scopi siue eius Officialis licentiam contra  
 particularem illum Malefactorem, cum  
 interuentu personæ Ecclesiasticæ. Vt habe-  
 tur statutum à Greg. 14. in Bulla. Cùm alijs.  
 An. 1591. Nono Cal. Iunij. de Immunitate Ec-  
 clesiasticâ.

## FORVM.

203. Forum quid sit, & quoruplex?  
 204. Absolutio in foro conscientia quid im-  
 portet? 205. Eius utilitas.  
 206. Facultas absolutè data num valeat pro  
 vtroque foro?

203. **F**orum, propriè locum, per Meto-  
 nomiam, actum Iurisdictionis &  
 Iudicij ipsum denotat, atque in Sæculare  
 & Ecclesiasticum diuiditur; Istud in exte-  
 rius, & interius; Hoc rursùm in forum  
 conscientia, & pœnitentiale, velut genus  
 in suas species Barbos. in locis comm. loc. 50.  
 n. 9. partitur, quia sunt effectus ad forum  
 conscientia pertinentes, qui extrà Sacra-  
 mentum Pœnitentia possunt expediri, vt

CCIII.  
 Forū quid  
 & quo-  
 ruplex?